

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 4248

**Auteur(s) :** Robert Murdac, chevalier, fils de Roger Murdac [autre]

**Bénéficiaire(s) :** La Lucerne-d'Outremer, Sainte-Trinité de La Lucerne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1194

**Lieu d'émission :** Saint-Lô

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert Murdac, chevalier, fils de Roger Murdac, confirme les donations faites par ses ancêtres au monastère et aux chanoines de Sainte-Trinité de La Lucerne.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Lutzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Lutzerne, n° XXX, p. 26-27.

Texte établi d'après a

Notum sit omnibus tam futuris quam presentibus quod ego Robertus Murdac, miles, filius Rogeri Murdac, concessi et ratas habui elemosinas quas antecessores mei, Hugo de Sancto Dionisio et Robertus Murdac, avi mei, et Rogerus Murdac, pater meus, et antecessores Havis uxoris mee, Philippus de Sancto Petro, avus suus, et Henricus frater ejusdem Philippi, et Alanus de Sancto Petro, pater suus, monasterio Sancte Trinitatis de Lucerna et canonicis ibidem Deo servientibus, in perpetuam elemosinam contulerant: videlicet decimam molendini nostri de Murdacaria quam Robertus Murdac avus meus dedit eisdem canonicis, quando cum eis habitum religionis assumpsit; et III quarteria frumenti in decima molendini nostri de Sancto Dionisio, que Hugo de Sancto Dionisio avus meus dederat illis; et alias elemosinas quas predicti antecessores Havis uxoris mee, Philippus et Henricus de Sancto Petro, prefatis canonicis dederant, scilicet decimas molendinorum suorum de Sancto Petro Lansgier, de Montvirum, de Donvilla, de Cornical, de Valle Seie; et dimidiā decimam de tota terra sua in parrochia Sancti Petri Lansgier et quicquid in ecclesia de Montvirun ad ipsos et ad antecessores suos pertinebat; et unam piscariam in mare, juxta Boillum, et alteram piscariam in mare, que dicebatur Malrevart, juxta Donvillam; compositionem quoque et conventionem, que facta fuerat inter monachos de Savigneio et eosdem canonicos de Lucerna, super elemosina quam dicti monachi tenebant de antecessoribus jam dicte Havis, uxoris mee, in Donvilla. Hec autem omnia suprascripta, et quicquid calumpnie et juris habebam in eis in manu Domini Willelmi Constanciensis episcopi, ad opus ipsorum Lucernensium canonicorum, resignavi, et cum omni liberalitate, in perpetuam elemosinam possidenda concessi, et quod eadem predictis canonicis garantizarem et manutenerem et legitime redderem que reddenda michi de his contingent, in manu ipsius domini Willelmi Constanciensis episcopi affidavi. Et ut hec omnia in posterum rata permaneant, presentis carte et sigilli mei impressione confirmavi. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini M C XC IIII apud Sanctum Laudum, presentibus his: magistro Gaufrido de Burco Acardi,

magistro Ricardo Hairun, canonicis Constanciensibus, Willelmo de Aigniaus, milite, Willelmo de Geron, Radulfo de Dragavilla, Mauricio, canonicis Lucerne et aliis multis.